



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.  
Theologia Universa**

**Archdekin, Richard**

**Dilingae, 1687**

Caput I. De Charitatis naturâ, objecto formali in via & patria, incremento,  
decremento, & amissione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38477**

presentis providentia vult omnes homines, quamdiu sunt in via Spe præmiæ æterni excitare ad virtutem, & peccatores Spe veniæ ad pœnitentiam. Atqui is, cui facta esset suæ damnationis revelatio, habens se antecedenter ad ejus deliberationes, non posset ista Spe excitari, ergo &c.

*Dices*, Revelaciones suæ damnationis fuerunt Judæ & alius in Scripturis factæ.

Resp. illas vel solum fuisse comminatorias, vel non creditas ab iis ad quos pertinebant; sicut ab Antichristo revelaciones factæ in Scripturis de illius damnatione non credentur.

*De potentia tamen absoluta* non repugnat etiam justo sic revelari suam damnationem. 1. Quia nulla est repugnancia in tali revelatione secundum se, nec etiam respectu Dei, cum non sit mala intrinsicè, nec ullius mali moralis causativa, nisi per accidens ex malitia hominis: nec impeditiva ullius boni, ad cuius omissionem non possit Deus habere se permittivè. 2. Quia potest revelare omnia sibi nota, adeoque negationem gratiæ ad retrahendum, si peccet. Neque talis revelatio esset justo pœna propter culpam inflicta, sed inera pœnalitas supponens prævisionem culpæ finaliter & liberè ponendæ. Ita cum *D. Thoma, Vasquez, Lugo, Oviedo, & alii* communitur.

Supposita revelatione damnationis antecedenter se habente licita esset *desperatio negativa*, seu Spei omissio; Quia Spes reddita esset impossibilis: eo enim casu beatitudo cognosceretur esse impossibilis impossibilitate consequente, & certò non futura, adeoque non posset representari ut possibilis & probabiliter futura, quod tamen necessariò requiritur, ut aliquid possit esse objectum Spei. Ita cum *D. Thoma & communi Suarez, Malderus, Amicus, Oviedo, Coninck, &c.*

Juxta aliquos eo casu etiam licita esset *aliqua desperatio positiva* v. gr. volitio cessandi à prosecutione beatitudinis ex dejectione animi propter certam ejus non futuritatem: Quia hæc volitio tunc nullo modo esset injuriosa Deo, ut esset desperatio importans odium beatitudinis, ejusve contemptum, quæ est intrinsicè mala. Ita contra *Suarez* docet *Turrianus, Coninck, aliique*.

*Effectus ex Habitu Spei*, sunt 1. Desiderium beatitudinis tanquam ipsius actus primarius. 2. Amor & complacentia in ea sperata. 3. Gaudium de illa obtenta. *Dirigitur* spes 1. actibus fidei de beatitudine nobis summe bona, de infinita Dei misericordia, & de ejus auxiliis nunquam defuturis. 2. Testimonio bonæ conscientie de peccato mortali nunquam, aut à pluribus annis sinceræ conversionis ad Deum, non admisso scienter & deliberatè: hoc testimonio maximè roboratur Spes, & morali certitudine firmatur. 3. Actu prudentie de necessitate aut honestate hic & nunc sperandi, & quod certò salvabor si cooperer gratiæ divine.

*Remanet Spes in peccatoribus*, qui non admiserunt peccata Spei opposita, ut est desperatio. Manet etiam in animabus *Purgatorii*, cum beatitudinem magno desiderio expectent per istius pœnæ tolerantiam. Remanet quoque in *Beatis* quoad habitum, & varios actus ab illo procedentes. Quia licet non possint sibi sperare beatitudinem, utpote jam certò possessam, possunt tamen elicere actus amoris Dei ut sibi boni, gratulationis & gaudii de beatitudine

obtenta, & actus beatitudinis pro aliis viatoribus sperandæ, quo fit ut habitus Spei non possit dici in *Beatis* otiosus.

## DE CHARITATE THEOLOG.

## CAPUT I.

*De Charitatis naturâ, objecto formali in via & patria, incremento, decremento, & amissione.*

**D**e hac Charitate, ejusque Præcepto, in hoc Opere agitur præcipue in Tomo II. Part. III. Tract. . Cap. I. & seq. Item ubi tractatur de Attritione Part. III. Tract. I. Quæst. 21. & seq. Pauca hic ad totius materie Complementum restant adjicienda.

Definitur *CHARITAS ACTUALIS*, amor amicitie, quo Deus propter se diligitur super omne bonum, quod non est Deus, hoc est, Deo propter se bonum velle. Hoc quoad bona Deo extrinseca maxime à nobis fit submissione voluntatis nostræ voluntati Divine aliquid præcipienti, aut consulenti. Differt à Spe quod per hanc Deum nobis concupiscimus in hoc sistendo, secus in Charitate Deum diligimus propter seipsum.

*Triplex* est amor Dei super omnia, sive appetitativè summus: *Primus* appetit Deum super omnia ipsi graviter displicentia; *Secundus* super omnia ipsi venialiter displicentia; *Tertius* super omnia ipsi minus placencia. Primus amoris gradus excludit peccatum mortale, secundus etiam veniale, tertius omnem imperfectionem deliberatam, & hic ceteris est perfectior in quantum Deum super *plura* excellentius appetit.

*Primus* tantum gradus, sive modus Deum amandi super omnia, est *Præcepti* suo tempore obligantis sub mortali, ac proinde est ad salutem necessarius & sufficiens. Tertius est *Consilii* uti & secundus: quamvis enim sit præcepti vitare omnia venialia: non est tamen præcepti illa vitare ex motivo Charitatis; cum vitari possint ex motivo aliarum virtutum, ut obedientiæ, timoris, justitiæ &c.

*Charitas HABITUALIS*, est habitus à Deo infusus, gratiæ sanctificanti inseparabiliter annexum actuum amoris, jam explicatorum, elicitivus: quia habitus ille Charitatis habet se per modum principii respectu actualis dilectionis.

*Deus* etiam amat homines amore amicitie. Quia licet ipsis velit bona non propter ipsos ibi sistendo, sed propter se ut finem ultimum: ea tamen non vult propter suam, sed propter ipsorum utilitatem. Quod sufficit ad amorem amicitie, cui non repugnat relatio ad Deum ut finem ultimum: alioqui omnis amor amicitie erga creaturam esset inordinatus, cum & hic ut perfectus sit ulterius in finem ultimum referatur.

*Charitas habitualis non est Spiritus Sanctus*, ut voluit Magister sentent. sed *Donum* Spiritus Sancti, ut patet ex Scrip. 1. Cor. 13. Rom. 5. ex CC. & PP. præsertim August. de Spir. & lit. c. 32. ubi ait, Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non quâ nos diligit, sed quâ nos facit dilectores suos.

Non sola bonitas, sed *singula Dei perfectiones intrinsicæ*, abstrahendo ab aliis, possunt esse objectum formale actus Charitatis justificativi. Cum enim singule sint infinitæ, potest Deus propter singulas ut ab aliis præci-

rsde  
Kin

theo-  
logia

D. IV  
15

præcisè amari super omnia amore supernaturali efficaciter excludente omnem affectum ad quodvis peccatum mortale, v.g. dum amatur præcisè propter solam infinitam sapientiam, aut iustitiam. Ita *Ariaga*, & *Oviedo*, contra *Gasparem Hurtadum* volentem amari debere propter omnes perfectiones nullâ omisâ, sed immerito, cum amor ille sit in suo genere perfectissimus, quamvis non in omni genere. Datur enim amor alius alio perfectior etiam specificè, propter tendentiam essentialè ad plures aut pauciores Dei perfectiones quibus simul ad amandum movemur. Per beneficia divina ad illius amorem movemur tantum ut motivum extrinsecum, quod ad perfectiones Dei intrinsecas percipiendas deducit.

Non repugnat Deum esse objectum formale dilectionis *supernaturalis* ut est auctor bonorum *naturalium*: & amoris *naturalis*, ut est auctor bonorum *supernaturalium*. Quia utraque perfectio, quâ nempe est auctor naturalium, & quâ est auctor supernaturalium est Deo intrinsecâ, adeoque infinita & supernaturalis, & utraque potest proponi cognitione naturali, & supernaturali: Ergo utraque potest amari propter se amore proportionato cognitioni, quâ proponitur: adeoque naturali & supernaturali. Et quidem quod amore naturali, patet. Quia nulla fingi potest probabilis ratio cur voluntas viribus naturæ non possit amare super omnia perfectionem sibi propositam ut super omnia amabilem. Ita *Ariaga*, *Oviedo*, *Coninck*, *Ripalda*, *Lugo*, cum *Scoto* & *Gabriele* apud *Ripaldam*, contra *Cajetanum*, *Bañez*, *Suarez*, *Ruiz*, &c.

Neque ideo *Bajus* prop. 37. est damnatus, Quia docuit amorem Dei ut auctoris naturæ posse esse *supernaturalem*: sed quia docuit non posse esse *naturalem*: adeoque amorem Dei naturalem esse omnino impossibilem, ut fufius *Ripalda*, aliique.

Charitas actualis *Patria* differt à Charitate actuali *Via* etiam quoad *substantiam*. Ita *S. Augustinus* dum ait *dilectionem Dei in alterâ vitâ fore incomparabiliter majorem illâ, quæ nunc est: fore longè supra quam petimus & intelligimus*: quæ indicant majorem perfectionem non solum intensivam, ut vult *Lorca*, sed substantialem & specificam. Ita *Scotus*, *Gabriel*, *Cajetanus*, *Capreolus*, *Ariaga*, *Coninc*, *Amicus*, *Lugo*, Contra *Bonavent.* *Durandum*, *Suarez*, *Vasquez*, *Turrianum*, *Oviedum*.

Neque obstat, quod *Charitas Habitualis* sit eadem specie & numero in viâ & in patria: Quia cum hæc sit proprietates coæva gratiæ Sanctificantis, quam constat esse omnino eandem in viâ & in patria, idem dicendum est de Charitate habituali, quæ cum det simpliciter posse, adeoque habeat se instar potentia, potest producere in patria actus specie diversos ab iis, quos producit in viâ. Adde, quod etiam in viâ eliciat actus specie diversos, nempe aliquos nitentes ut motivo formali sola Dei sapientia, alios sola ejus potentia, ut supra dictum est.

Homo iustus, sive, in statu gratiæ, per *quosvis actus* virtutum infusarum etiam meretur physicum gratiæ, & *Charitatis augmentum*. Cum enim jus ad gloriam immediate fundetur in gratia, quæ ideo ex *Scip.* & *PP.* est Semengloria: non potest iustus de lege Ordinaria mereri jus ad *Physicum* gloriæ augmentum, nisi mereatur simile augmentum gratiæ, & consequenter Charitatis, quæ est illi inseparabiliter annexa, ut docet *D. Thomas*, vel à gratia illa non distinguitur, ut vult *Scotus*.

Confertur autem istud gratiæ & Charitatis augmentum illo ipso instanti, quo elicitur actus meritorius: Hoc clarè significat *Trid.* dum ait *Sess. 6. cap. 10.* *Iusti die in diem in iustitiâ bonis operibus crescunt, & magis iustificantur.* Nec aliunde assignari potest ulla probabilis ratio dilationis istius augmenti gratiæ, & Charitatis habitualis.

*Continuatio actus meritorii* auget ejus meritum, minus tamen, quam ejus repetitio, quæ importat novam libertatis & virtutis applicationem. Unde non sequitur quod actus bonus continuatus per horam constantem infinitis partibus proportionalibus, sit æquè aut magis meritorius, quam forent infinitæ repetitiones instantaneæ ejusdem actus, ut obicitur adversarij, qui eandem incurrunt difficultatem in augmento pœnæ æternæ, quam volunt crescere per continuationem actus mali, item in continuatione actus boni per aliquod tempus crescentis in intentione. Caterùm quamvis actus naturales physicè casent intentionem suorum habituum, supernaturales illam causant tantum meritorie.

Cum augmento Gratia & Charitatis augentur *cætera virtutes infusa*, quæ sunt inseparabiles gratiæ proprietates, sicut Charitas, adeoque eam comitantur quoad infusionem, conservationem, & augmentationem, uti fit in Charitate. Idem ex *Tridentino Sess. 6. cap. 10.* dicendum est de fide, & spe, quæ etiam sunt proprietates gratiæ numquam exstent sine illis, licet hæc sine illa per accidens subinde sint in peccatore. Ita *Suarez*, *Coninc*, *Ripalda* *Disputat. 18. Sect. 6.* Contra *Vasquez*, *Turrianum*, *Malderum*, qui volunt habitum fidei, & spei tantum crescere per actus proprios, cujus contrarium colligi potest ex *Tridentino Sess. 6. cap. 10.*

Charitas habitualis cuiusvis *Beati* v. gr. infantis à baptisimo mortui, non excedit intensiõe charitatem cuiuslibet *viatoris*, sed subinde exceditur, v. gr. dicitur infantis exceditur à Charitate habituali *S. Petri* in viâ. Aliàs enim sequeretur maximam partem gloriæ non esse coronam Iustitiæ, sed donum gratuitum, quod videtur repugnare his verbis *Matth. 6. tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Unde probabilius est Beatos non habere intensiorem gratiam & Charitatem in patria, quam habuerint in viâ. Ita *Suarez*, *Azorius*, *Granadus*, *Malderus* &c. Contra *Lorcã*, *Tannerum*, aliosque.

Charitas actualis *Beatorum* in patria est ordinariè in eodem homine intensior, quam fuerit in viâ, non tamen semper. Prima pars patet, Quia *Beatus* in patria semper operatur ex tota latitudine sui habitus, qui cum augeatur per actus omnium virtutum, ordinariè est intensior actu intensissimo, quem elicit in viâ, 1. Pars probatur ex eo quod actus Charitatis non mereatur habitum gratiæ tot gradibus intensum, quot constat ipse actus. Ita *Suarez*, *Coninck*, aliique.

Gratia & Charitas habitualis non potest de lege ordinaria directe diminui. Non enim per mortalia, Quia illam totaliter destruunt neque per venialia multiplicata, Quia aliqui possent ita multiplicari ut illam totaliter destruunt, atque ita fieri mortalia, quod repugnat. Ita cum *D. Thomas* docet sententiã communis, contra *Alfissidorensem*, paucosque.

Venialia tamen minuunt gratiam *indirectè*: 1. Quatenus remouent, abundantiam gratiarum actualium à mortali

mortali præservantium, & impediunt frequentiam ac fervorem Charitatis: 2. Quatenus intendunt habitus pravos inclinantes ad malum: atque ita disponunt ad mortale, juxta illud *Eccles. 19.* Qui spernit modicam paulatim decider: Hoc solum volunt August. aliique PP. dum dicunt, multa peccata levia facere unum grande, id est, disponendo ad peccatum grave ex causis jam dictis.

*Certum est contra Jovin. & Calvinum charitatem in viâ amitti posse per peccatum mortale, quo perditur Gratia.* Pater ex Script. *Ezech. 18.* cum averterit se justus &c. morietur: & ex *Trid. Sess. 2. can. 30.* Ratio est, quod Gratia & Charitas habitualis per se immèdiatè non firmet in bono, nec habeant sibi insalubriter annexa auxilia ad vitiationem peccati mortalis efficaciam.

*Nec refert quod dicatur Joannis 3.* Natus ex Deo non potest peccare, scilicet in sensu composito, & sequendo motionem Charitatis, secus in sensu diviso. Quando S. Augustinus aliique PP. dicunt Charitatem, quæ deseri potest non esse veram, solum volunt non esse veram comparativè ad firmam & constantem Charitatem. Sicut amicitia facilè mutabilis dici solet non esse vera amicitia.

*Quærit.* An actus Charitatis possit consistere cum motivo aliarum virtutum moralium circa idem objectum?

*Resp. affirm.* ut cum idem opus fit ex Dei amore, & simul ex motivo misericordiae, obedientiae, aut justitiae: quia hæc motiva suam etiam habent propriam honestatem, imò dum in eodem actu cum motivo amoris concurrunt, illius meritum adaugent.

## CAPUT II.

## De Præcepto Charitatis Dei, Proximi, Correctione fraterna, Bello, duello &amp; scandalo.

**Præceptum AFFIRMATIVUM** Charitatis non obligat sub mortali, imò nec sub veniali, ut statim primo instanti usui rationis, etiam sumpto moraliter pro spatio aliquot horarum, eliciatur amor Dei super omnia. Quia est moraliter impossibile, ut tunc habeatur sufficiens Dei notitia ad tam sublimem ejus amorem: Obligat tamen & quidem per se, ut habitæ tali notitiæ non differatur diu v. gr. ultra annum integrum.

*De hoc Præcepto susius agitur hujus Operis Tomo II. Parte II. Tract. 5. cap. 1. infra.*

**ORDO** Charitatis requirit, ut nos omnibus aliis præferamus in iis quæ pertinent ad observantiam mandatorum, nostram sanctificationem, & salutem. Unde non licet admittere unum veniale quantumvis leve, pro obtinendo quantovis bono, aut impediendo quantovis malo: Quia, cum veniale quovis casu sit intrinsecè malum, & à Deo nobis prohibitum, non potest esse medium quod à nobis honestè ad ullum finem eligi possit, cum nullus finis possit honestare illud quod per se est inhonestum.

Possumus, non tamen tenemur, præferre salutem proximi propriae perfectioni, & juxta *Vekenum*, liberationi nostræ à pœnis Purgatorii. Ratio est, quod procuratio majoris perfectionis non sit præcepti, sed consilii, adeoque possit licitè omitti, & ejus omisso ad bonum finem referri tamquam medium ex se non malum.

**CORRECTIO FRATERNA** ordinatur ad bonum correcti: differt à *judiciali* pertinente ad justitiam vindicativam, in eo quod hæc spectet bonum communitatis, illa bonum delinquentis, qui ex Charitate corrigitur. Est illa præcepti subinde graviter obligantis etiam subditum respectu Prælati, & Peccatorem ad sui ipsius correctionem: ut cum non potest aliter proximus efficaciter corrigi in re magni momenti, præsertim vergentis ad communitatis damnum aliquod grave ab illius malo exemplo.

*Conditiones* hæc requiruntur, ut præceptum correctionis obliget, 1. Moralitudo delicti ab alio commissi. 2. Probabilis spes fructus prævalens justo metu incommodorum ex ea monitione orientium. Quæ conditiones cum sæpe deficiant, raro illi qui nullam habent superioritatem obligantur saltem graviter ad correctionem, ad quam faciendam sæpe obligantur Superiores, etiam subinde de veniali, ex quo nasci potest grave damnum communitatis, & de peccatis ex ignorantia vincibili, & invincibili admisis: Quia etiam hæc possunt vergere in grave damnum communitatis.

*Ordo correctionis* præscriptus *Matth. 18.* ut prius privatim moneatur delinquens, quam deferatur ad Superiorem, est præcepti per se graviter obligantis. Quia Charitas & Justitia exigunt ut non infametur proximus sine necessitate: subinde tamen per accidens inverti potest & debet iste ordo, ut quando aliter vitari non possunt gravia damna & scandala: aut quando Religiosus, uti in Societate, in hoc jure suo cessit.

Hujus constitutionis in Societate justitiam olim impugnavit *Lorca* aliique perpauca, sed eam tuerunt ut olim *Bonaventura*, recentiores communissimè, & quidem ita ut *Duvallius*, & alii negativam censeant esse temerariam, quod efficaciter probant auctoritate Pauli III. aliorumque Pontificum, qui omnes Societatis Constitutiones approbarunt, ac præsertim *Gregorii XIII.* his verbis: Constitutiones Societatis & statuta omnia Apostolica auctoritate approbamus, quibus addit: præcipimus in virtute S. obedientiæ, sub pœna excommunicationis lætæ sententiæ, ne quis constitutiones Societatis Jesu directè vel indirectè impugnavit audeat.

**BELLUM** est dissensio hostilis, quæ una republica contra aliam arma movet. Supposita potestate illud indicendi, causæ justitiæ, & intentionis rektitudine, est certò licitum: Ita omnes Catholici contra Manichæos aliosque, tam ex Scripturis *Luc. 3.* quam ex Patrum sensu; quamvis licere bellum saltem inter Christianos perperam negent Anabaptista.

Potest *Princeps supremus* ad bonum Reipubl. indicere bellum. *Causa justa* belli est gravis injuria Principi, aut ejus subditis certò illata, & aliâ vià irreparabilis. Potest bellum esse utrimque justum *formaliter*, ut cum utraque pars putat se habere jus: non *materialiter*, cum re ipsa, non possint dari jura in idem sibi repugnantia.

*Licitum est in Bello justo* interficere hostes, etiam *innocentes*, non quidem per se & directè, cum jus gladii solum sit datum contra nocentes, sed per accidens & *indirectè* ut cum sunt ita permixti nocentibus, ut hi non possint necari sine aliis innocentibus.

*Licet etiam in Bello justo, & ex causâ rationabili, civitatem dare in prædamm.* 2. uti *insidiis.* 3. pugnare die festo

rsde  
kin

theo  
logia

P. IV